

Ps. Dóminus regnávit.
cum reliquis. 21.

2. Læva ejus * sub cápite meo, et dextera illius amplexábitur me.

3. Nigra sum, * sed formósa, filíæ Jerúsalem : ideo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubiculum suum.

4. Jam hiems tránsiit, * imber ábiit, et recéssit : surge amíca mea, et veni.

5. Speciósá * facta es et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capitulum. Eccli. xxiv. b
AB inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

O Gloriósá Virgínum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cœli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánuá,
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Virgí-
nem
Gentes redéptæ pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgí-
ne,
Cum Patre, et almo Spí-
ritu,

In sempitérna sæcula.
Amen.

V. Diffúsa est grátia in
lábiis tuis. **R.** Proptérea
benedíxit te Deus in ætér-
num.

Ad Bened. Aña. Beáta
es * María, quæ credíd-
isti : perficiéntur in te, quæ
dicta sunt tibi a Dómino,
allelúia.

Oratio.

Concède nos fámulos
tuos, quæsumus Dó-
mine Deus, perpétua men-
tis et córporis sanitáte
gaudére : et gloriósá beá-
tæ Mariæ semper Virgí-
nis intercessióne, a præ-
sénti liberári tristítia, et
æténa pérfrui lætítia.
Per Dóminum nostrum.

Ad Primam in R. br.
V. Qui natus es de María
Virgíne. **etiam in Festis
infra Octavas B. Mariæ
Virginis.**

AD TERTIAM.

Aña. Læva ejus.

Capitulum. Ab inítio. **ut
supra.**

R. br. Spécie tua, * Et
pulchritúdine tua. Spécie.
V. Inténde, próspere pro-

cède, et regna. Et pulchri-
túdine. **Gloria. Spécie.**

V. Adjuvábít eam Deus
vultu suo. **R.** Deus in mé-
dio ejus, non commovébi-
tur.

AD SEXTAM.

Aña. Nigra sum.
Capitulum. Eccli. xxiv. b
ET sic in Sion firmáta
sum, et in civitáte
sanctificáta simíliter re-
quiévi, et in Jerúsalem po-
téstas mea. Et radicávi in
pópulo honorificáto, et in
parte Dei mei heréditas
illius, et in plenítudine san-
ctórum deténtio mea.

R. br. Adjuvábít eam,
* Deus vultu suo. Adju-
vábít. **V.** Deus in médio
ejus, non commovébitur.
Deus. **Gloria Patri.** Adju-
vábít.

V. Elégít eam Deus, et
præelégít eam. **R.** In ta-
bernáculo suo habitáre fa-
cít eam.

AD NONAM.

Aña. Speciósá.
Capitulum. Eccli. xxiv. b
IN platéis sicut cinna-
mómum, et bálsamum
aromatizans odórem dedi:
quasi myrrha elécta dedi
suavitátem odóris.

R. br. Elégít eam Deus,
* Et præelégít eam. Elé-
git. **V.** In tabernáculo suo
habitáre facit eam. Et præ-
elégít. **Gloria Patri.** Elégít.
V. Diffúsa est grátia in
lábiis tuis. **R.** Proptérea
benedíxit te Deus in ætér-
num.

IN II. VESPERIS.

**Omnia dicuntur ut in pri-
mis, præter Añam seq.**

V. Dignáre me laudáre
te, Virgo sacráta. **R.** Da
mihi virtútem contra ho-
stes tuos.

Ad Magnif. Aña. Beátam
me dicent * omnes gene-
ratiónes, quia ancillam
húmílem respéxit Deus.

Officium B. Mariæ in Sabbato.

Omnibus Sabbatis per
Annum, præter-
quam in Adventu, Qua-
dragesima, Quatuor Tem-
poribus et Vigiliis, et nisi
Officium fieri debeat de
Feria, propter Officium
alicujus Dominicæ infra

Hebdomadam ponendum,
ut dicitur in Rubrica de
Dominicis; ac nisi Festum
novem Lectionum occur-
rat, sit Officium de S. Ma-
ria, modo infrascripto.

In Vesperis Feriæ vj. di-
cuntur Psalmi feriales in

Psalterio positi, nisi fuerit Festum novem Lectio- num : quia tunc de S. Maria fit tantum Commem. in dictis Vesperis cum Aña, V. et Oratione, ut infra : quæ Commem. omit- titur, quando Feria vj. occurrit Festum Purifica- tionis, vel aliud ejusdem B. Mariæ Officium.

Capitulum et Hymnus ut in Festis B. Mariæ. [193]

V. Diffusa est gratia in labiis tuis. R. Propterea benedixit te Deus in ætér- num.

Ad Magnificat, Aña. Beá- ta Mater, * et intácta Vir- go, gloriósa Regína mun- di, intercède pro nobis ad Dóminum.

V. Dóminus vobiscum. R. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

Concède nos fámulos tuos, quæsumus Dó- mine Deus, perpétua men- tis et córporis sanitate gaudere : et gloriósa beá- tæ Mariæ semper Virginitatis intercessióne, a præsentí liberári tristitia, et ætér- na pérfrui lætítia. Per Dó- minum nostrum.

¶ Post Nativit. usque ad Purificat. ad Magnif. Aña. Magnum hereditatis my- stérium : * templum Dei

factus est úterus nesciéntis virum : non est pollútus ex ea carnem assúmens : omnes Gentes vénient di- céntes : Glória tibi Dó- mine.

Oratio.

Deus, qui salútis ætér- næ, beátæ Mariæ virginitate fecúnda, hu- máno géneri præmia præ- stitisti : tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis inter- cedere sentiámus, per quam meruimus auctórem vitæ suscipere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

Post Orationem fiunt Commemor. consuetæ de S. Joseph, de Apostolis, et de Pace, ut supra. 178.

Si autem occurrat Festum simplex, de eo fit Comm. ante ipsa Suffragia.

Completorium ut in Psal- terio.

Et in fine Hymni Te lucis ante términum. dicitur.

Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Virgine. etiam si in Vesperis tacta sit tantum Commem. de B. Maria, nisi Hymni illius Festi, quod Feria vj. cele- bratum est, aliter conclu- dendi sint, ut in Transfi- guratione Domini.

AD MATUTINUM.

Invitat. Ave María, grá- tia plena : * Dóminus te- cum. Ps. Venite. 2.

Hymn. Quem terra. ut in Festis B. Mariæ. [194]

Nocturnum Sabbati ut in Psalterio. Et in fine,

V. Diffusa est grátia in lábiis tuis. R. Propterea benedixit te Deus in ætér- num.

Pater noster.

Absolutio.

Præcibus et méritis beátæ Mariæ semper Virginitatis, et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dó- minus ad regna celórum. R. Amen.

V. Jube domne benedí- cere.

Pro j. Lectione, Bened. Nos cum prole pia benedí- cat Virgo María. R. Amen.

Primæ duæ Lectiones de Scriptura libri currentis : tertia, una ex inferius po- sitis per ordinem, ut infra.

R. j. Sancta et immacu- láta virginitas, quibus te láudibus éfferam nescio : * Quia quem cœli cápere non póterant, tuo grémio contulisti. V. Benedicta tu in muliéribus, et benedí- ctus fructus ventris tui. — Quia.

Pro ij. Lect. Bened. Ipsa Virgo virginitatis intercéd- dat pro nobis ad Dómi- num. R. Amen.

R. ij. Felix namque es sacra Virgo María, et om- ni laude digníssima. * Quia ex te ortus est sol justí- tiæ, * Christus Deus nos- ter. V. Ora pro pópulo, intercède pro devóto femineo sexu : sentiant omnes tuum juvámén, quicúmque céle- brant tuam sanctam com- memoratióne. — Quia. Glória Patri. Christus.

Pro iij. Lectione, Bened. Per Virginitatem matrem con- cédatur nobis Dóminus salú- tem et pacem. R. Amen.

Post iij. Lectionem dicitur Te Deum. 20.

AD LAUDES,

et per Horas.

Omnia ut in Festis B. Ma- riæ Virg. [205] præter seq.

V. Benedicta tu in muliéribus. R. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Bened. Aña. Beáta Dei Génitrix María, * Virgo perpétua, templum Dómi- ni, sacrárium Spíritus sancti : sola sine exémplo pla- cuísti Dómino nostro Jesu Christo : ora pro pópulo, intercède pro clero, intercède

cède pro devoto femineo sexu.

*-Oratio. Concède. [208]
¶ Sed post Nativit. usque ad Purific. Añæ ad Laud. et per Horas, Añæ ad Bened. nec non Oratio dicuntur ut infra in Officio parvo B. M. V. post Nativit. [227]
Deinde fiunt Commemorationes ut supra. 177.*

AD VESPERAS.

Añæ et Psalmi feriales, Capitulum et reliqua omnia, si non occurrat Festum duplex, de Dominica.

In fine Commemor. consuetæ, ut supra. 177.

-Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in Offic. B. Mariæ in Sabbato, ordine subscripto.

MENSE JANUARIO.

Ex Epistola sancti Ambrósii Episcopi ad Siricum Papam.

Epist. lxxxj. al. vij. post init.

Lectio iij.

DE via perversitatis produntur dicere: Virgo concépit, sed non virgo generávit. Pótuit ergo virgo concípere, non pótuit virgo generáre, cum semper concéptus præcedat, partus sequátur? Sed si doctrinis non créditur

sacerdotum, credátur oráculis Christi, credátur mónitis Angelórum dicéntium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credátur symbolo Apostolórum, quod Ecclésia Romána intemerátum semper custódit et servat. Audívit María vocem Angeli, et quæ ante díxerat: Quómodo fiet istud? non de fide generatiónis intérogans, respóndit póstea: Ecce ancilla Dómini, contíngat mihi secúndum verbum tuum.

Te Deum. 20.

MENSE FEBRUARIO.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri advérsus Jovinianum.

Ex Apol. ad Pammachium, pro lib. adv. Jovin. in fine.

Lectio iij.

Christus virgo, mater virginis nostri virgo perpétua, mater et virgo. Jesus enim clausis ingressus est ostiis: et in sepulcro ejus, quod novum et in petra duríssima fúerat excisum, nec ántea quis, nec póstea pósitus est. Hortus conclusus, fons signátus: de quo fonte ille flúvius manat, juxta Joel, qui irrigat torrémentem vel fú-

nium, vel spinárum: fú-nium, peccatórum, quibus ante alligabámur: spinárum, quæ suffócant seméntem patrisfamílias. Hæc est porta Orientális, ut ait Ezéchiél, semper clausa, et lúcida, opériens in se, vel ex se próferens Sancta sanctórum: per quam sol justitiæ et Póntifex noster secúndum ór-dinem Melchisedech ingréditur et egréditur.

Te Deum. 20.

MENSE MARTIO.

ante Quadragesimam.

Ex libro sancti Irenæi Episcopi et Mátyris advérsus hæreses.

Lectio iij. Lib. 5. cap. xix.

In sua própria veniént-te Dómino, et sua própria eum bajulánte conditióne, quæ bajulátur ab ipso, et recapitulatióne ejus quæ in ligno fuit inobediéntiæ, per eam quæ

in ligno est, obediéntiam faciéntem, et seductiÓne illa solúta, quæ sedúcta est male illa, quæ jam viro destináta erat virgo Heva; per veritátem evangelizáta est bene ab Angelo jam sub viro Virgo María. Quemádmódum enim illa per angélicum sermónem sedúcta est, ut effúgeret Deum, prævaricáta verbum ejus: ita et hæc per angélicum sermónem evangelizáta est, ut portáret Deum; obédiens ejus verbo. Et sicut illa sedúcta est, ut effúgeret Deum; sic hæc suása est obedíre Deo, ut virginis Hevæ Virgo María fieret advocáta. Et quemádmódum astríctum est morte genus humánum per virginem, solvátur per virginem: æqua lance dispósita virginális inobediéntia, per virginálem obediéntiam.

Te Deum. 20.

Officium parvum beatae Mariæ.

NON dicitur, quando fit Officium novem Lectionum, nec in Vigilia Nativitatis Domini, nec in Sabbatis, quando fit Officium de S. Maria. Quibus diebus omittitur a j. Vesp.

et in Vigilia Nativitatis a Matutino. Cum dicitur in Choro, in Matutinis, et in Vesperis præponitur Officio diei, in aliis Horis postponitur. Prima dicitur post Benedicamus Dómi-

noantequam legatur Martirologium. Extra Chororum potest dici pro temporis opportunitate.

OFFICIUM B. MARIE
EXTRA ADVENTUM.

AD VESPERAS.

Ave Maria. secreto, quæ dicitur semper in principio omnium Horarum B. Mariæ, quando non conjunguntur cum Officio diei.

℣. Deus in adiutorium.

Glória Patri. in cuius fine Alleluia. vel Laus tibi Domine. pro temporis varietate.

Añæ, Psalmi, Capitulum et Hymnus ut in Festis B. M. V. [191]

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnif. Añæ. Beata Mater, * et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercède pro nobis ad Dominum.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Concède nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpétua men-

tis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessiōe, a præsentī liberārī tristitia, et æterna p̄frui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Sequens Commemoratio pro Sanctis fit tantum ad Vesperas et Laudes in Officio S. Mariæ, præterquam in Adventu: cuius loco tunc alia dicitur, ut infra. [223]

Añæ. Sancti Dei omnes intercédere dignemini pro nostra omniumque salute.

℣. Lætâmini in Domino, et exultate justi. ℟. Et gloriâmini omnes recti corde.

Oratio.

PRôtege Domine populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocínio confidentem, perpétua defensione conserva.

Omnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent: ut dum eorum mérita recólimus, patrocínia sentiâmus: et pacem tuam nostris concède temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter-

actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue: et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum nostrum.

AD COMPLETORIUM.

Ave Maria. ut supra.

℣. Convérte nos Deus salutaris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adiutorium. Glória Patri. Sicut erat. Alleluia. vel Laus tibi Dñe.

Psalmus cxxviii.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, * dicat nunc Israel.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: * etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: * prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum: * confundantur, et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum: * quod priusquam evellatur, exaruit:

De quo non implevit manus suam qui metit, * et sinum suum qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio Domini super vos: * benediximus vobis in nomine Domini.

Psalmus cxxix.

DE profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Psalmus cxxx.

Domine non est exaltatum cor meum: * neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis : * neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam : * sed exaltavi animam meam :

Sicut ablactatus est super matre sua, * ita retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino, * ex hoc nunc et usque in saeculum.

Hymnus.

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis

Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo formam sumperis.

Maria mater gratiae,
Dulcis Parens clementiae,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

Amen.

Capitulum. Eccli. xxiv. c.

EGO mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. **R.** Deo gratias.

V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix. **R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Nunc dimittis, Añ.
Sub tuum praesidium * confugimus sancta Dei Genitrix : nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Beatae et gloriosae semper Virginis Mariae, quaesumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat aeternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

AD MATUTINUM.

Ave Maria. **ut supra.**

V. Domine labia mea.

V. Deus in adiutorium.

Invitat. Ave Maria, gratia plena : * Dominus tecum. **Ps.** Venite. 2.

Hymnus. Quem terra. **ut supra.** [194]

In Nocturno, Añae et Psalmi dicuntur ut in Festis B. M. V. scilicet :

Feria ij. et v. ut in j. Nocturno. [194]

Feria iij. et vj. ut in ij. Nocturno. [198]

Feria iv. et Sabbato ut in iij. Nocturno. [202]

V. Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Pater noster. **secreto.**

V. Et ne nos inducas in tentationem. **R.** Sed libera nos a malo.

Absolutio.

Precibus et meritis beatae Mariae semper Virginis, et omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna caelorum. **R.** Amen.

V. Jube domne benedicere. **Bened.** Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. **R.** Amen.

Lectio j. Eccli. xxiv.

In omnibus requiem quaesivi, et in hereditate Domini morabor. Tunc praecipit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhabitata, et in Israel hereditare, et in electis meis mitte radices. **Tu** autem Domine miserere nobis. **R.** Deo gratias.

R. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio : * Quia quem caeli capere non po-

terant, tuo gremio contulisti. **V.** Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. — Quia.

V. Jube domne benedicere. **Bened.** Ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. **R.** Amen.

Lectio ij.

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. **Tu** autem.

R. Beata es Virgo Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi : * Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo. **V.** Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. — Genuisti.

V. Jube domne benedicere. **Bened.** Per Virginem matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem. **R.** Amen.

Lectio iij.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion : quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi

plantatio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósá in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálzámum aromatizans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitatém odóris. ¶ Tu autem.

℟. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérvieni pro clero, intercède pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámén, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. — Quia. Glória Patri. Christus.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutórium.

Añæ. 1. Assúpta est * María in cœlum, gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

Psalmi de Dominica. 21. 2. María Virgo * assúpta est ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3. In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus : adolescentulæ dilexérunt te nimis.

4. Benedícta filía * tu a Dómino : quia per te fructum vitæ comunicávimus.

5. Pulchra es, * et decóra, filía Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum. Cant. vj. c

Vidérunt eam filíæ Sion, et beatíssimam prædicavérunt, et reginæ laudavérunt eam. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

O Gloriósa Vírginum, Sublímis inter sídera, Qui te creávit, párvulum Lacténte nutris úbere. Quod Heva tristis ábstulit,

Tu reddis almo gérmine : Intrent ut astra flébiles, Cœli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánuá, Et aula lucis fúlgida : Vitam datam per Vírginem Gentes redéptæ pláudite,

Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, Cum Patre, et almo Spírítu, In sempitérna sæcula.

Amen.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Bened. Añæ. Beáta Dei Génitrix María, * Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spírítus sancti : sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo : ora pro pópulo, intérvieni pro clero, intercède pro devóto femíneo sexu.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spírítu tuo.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Mariæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscipere voluísti : præsta supplicibus tuis ; ut qui vere eam Genitricem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro Sanctis, Añæ. Sancti Dei. ut in j. Vesp. [212]

AD PRIMAM.

Ave María. ℣. Deus in adjutórium.

Hymnus.

Memento, rerum Cónitor, Nostri quod olim córporis Sacráta ab alvo Vírginis Nascéndo formam súmpseris.

María mater grátiae, Dulcis Parens cleméntiæ, Tu nos ab hoste prótege, Et mortis hora súscipe. Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, Cum Patre, et almo Spírítu, In sempitérna sæcula.

Amen.

Añæ. Assúpta est.

Psalmus liij.

Eus in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam : * áuribus pèrcipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsus me, et fortes quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuerunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * et Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimicis meis : * et in veritaté tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo Dómine : quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * et super inimicos meos despéxit óculus meus.

Psalmus lxxv.

Benedixisti Dómine terram tuam : * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam : * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Convérte nos Deus salutaris noster : * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut extendés iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsius : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculatæ sunt.

Véritas de terra orta est : *

et justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitatem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in viam gressus suos.

Psalmus cxxij.

Laudáte Dóminus omnes Gentes : * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Añã. Assúpta est María in cœlum, gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminus.

Capitulum. Cant. vj.

QUÆ est ista, quæ progreditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terribilis ut castrorum ácies ordináta? **R.** Deo grátias.

V. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. **R.** Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

V. Dóminus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus, qui virginálem aulam beátæ Mariæ, in qua habitáres, eligere

dignátus es : da quæsumus, ut sua nos defensione munitos, jucúndos fácias suæ interésse commemorationi. Qui vivis et regnas.

AD TERTIAM.

Ave María. **V.** Deus in adiutorium.

Hymn. Meménto. [217]

Añã. María Virgo.

Psalmus cxxij.

AD Dóminus cum tribulárer clamávi : * et exaudivit me.

Dómine líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánimá mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Psalmus cxxij.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxiliúm mihi.

Auxiliúm meum a Dó-

mino, * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotióne pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Psalmus cxxij.

Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificá-tur ut civitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini.